Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

362

qui hoc nolunt credere cum tamen deum patrem filium habere unige-
nitum credant. noluit deus habere aequalem filium an non potuit.
si noluit, inuidus est. sed si non potuit, infirmus est. utrumuis autem
horum de deo sentire sacrilegum est. nescio utrum possint inuenire
quid dicant si nolint res absurdissimas et stultissimas dicere.
Ecce quantum potui exposui tibi fidem meam. et plura quidem dici
possunt et diligentius disputari. sed uereor ne ista ipsa quae dixi
oneri sint occupationibus tuis. tamen ea non solum dictata
conscribi uolui, sed etiam manu mea subscribenda curaui.
quod quidem et antea uolueram si quod inter nos placuerat serua-
retur. sed modo certe puto iam non a te debere dici timuisse me
tibi dicere fidem meam. quando non solum dixi, sed scriptam
subscripsi. ne me quisquam dicat aut dixisse quod non dixi aut non
dixisse quod dixi. hoc fac et tu si iudices. quaeres non qui more tuo
reuereantur personam tuam, sed qui in litteris tuis exserent libertatem
suam. Si enim calumniam times quod nullo modo audirem dicere
nisi hoc ipse dixisses, licet tibi non subscribere. nam et ego propterea
nolui scribi nomen tuum in his meis litteris, ne hoc forte noluisses.
facile est ut quisque Augustinum uincat. uideris utrum ueritate
an clamore. non est meum dicere. nisi quia facilis est ut quisque
Augustinum uincat. quanto magis ut uicisse uideatur. aut et si
non uideatur uicisse dicatur. facile est. hoc nolo magnum putes. nolo
nolo pro magno appetas. nam cum aduerterint homines in hac
in re etiam ingentem flammam cordis tui, multi gaudebunt
se inuenisse occasionem ut a pauca euge euge tam potentem
uirum faciant amicum. nolo dicere quia si non foueant uel si con-
trariam sententiam preferent etiam formidare poterunt inimicum
inepte quidem et stulte. sed tamen plerique homines ita sint.
Noli ergo attendere quomodo uincatur Augustinus qualiscumque
unus homo. sed attende potius utrum uinci possit omousion.